



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 62. Ejus Hæresiarchæ doctrina Aureliæ stabilita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

haud absimilis, atque ex Diaconis, Superintendentibus, & Senioribus conflatus Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto instituebatur.

## §. LXII.

*Hujus Hæresarchæ doctrina Aureliæ stabilita.*

Anno sequenti millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto plures aliæ Societates, seu ejusmodi Ecclesiæ erigebantur, ex quibus celebrior erat Aurelianensis, cujus origo adscribitur cuidam juveni nomine Columbano, qui Parisiis confecto studiorum curriculo vehementer sollicitabatur, ut Aureliæ, quamprimum eo venisset, ejusmodi Ecclesiam fundare aggrederetur: Itaque Columbanus accepto negotio laboris sui socios sibi selegerat quemdam Lanificem nomine Franciscum de la Fie, necnon Joannem Chemetum lanæ Carnimatorum, sexque alios ejusdem furfuris homines. Hi Parisios quemdam ablegabant, petentes, ut ipsis Ambrosius Ballerus tanquam Præco submitteretur; cum autem hic solus novum gregem numero indies crescentem pascere haud posset, hinc datis Genevam ad Calvinum literis quosdam laboris socios ab eo petebat, a quo etiam duo alii mittebantur, atque inter eos Hieronymus Bolse-

*Beza l. 2. p.*

*III. item in*

*vita Calvini*

*ad ann. 1555.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.

Bolsecus fidei, Ordinisque sui defertor, cujus jam supra meminimus, dum de ejus diffidiis cum Calvino egeramus, numerari ambiebat: ast irrita fuere illius molimina; quippe Calvinus illum tanquam turbidæ indolis, suspectæque fidei Virum rejiciebat. Paulo post nova alia spurixæ hujus Reformationis Ecclesia Rothomagi, & dein in pluribus aliis locis exurgebat, ad zizania enim per varias Regni urbes disseminanda Diabolus ea temporis vicissitudine opportune utebatur, dum Henricus II. Galliarum Rex ab Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto usque ad annum quinquagesimum septimum bello Italico implicitus, multum ab ea severitate remittere cogebatur, qua antea in hosce hæreticos fuerat animadversum (\*).

§. LXIII.

(\*) Tandem habemus fatentem Continuatorem, quod ad conservandam veræ fidei puritatem, atque præpediendos hæresum progressus pœnarum severitas sit necessaria; qua ergo ratione tam indigne contra Inquisitionis tribunal declamare potuit. Si utile, ac necessarium est, ut Rex ejusmodi severitate in hæreticos utatur, cur impium, ac conscientiarum libertati adversum dicit, quod accedente etiam Regum, vel Principum auctoritate Episcopi,  
vel